

secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem Catharinæ in dicto oppido Niceæ Palearum, & ipsius hospitalis, vel alio loco ad id conveniente, & idoneo unum monasterium Monialium dicti ordinis S. Augustini ut præfertur construendi, & ædificari faciendi, ac dictis Jeronymæ, & Isabellæ se ad illud transferendi licentiam concedere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod semper in unionibus vocarentur quorum interesset, quique religionis augmentum nostris potissime temporibus dileximus, de præmissis certam notitiam non habentes, ac præfatam Jeronymam apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatam horum intuitu gratioso favore prosequi volentes, ipsasque Catharinam Comitissam, ac Jeronymam, & Isabellam, & earum quamlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodata existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, præfatæ Catharinæ in ipso oppido Niceæ Palearum, & dicti hospitalis, seu alio loco ad id condecense, & apto unum monasterium Monialium pro una Priorissa, & aliquibus Monialibus dicti Ordinis cum cimiterio, clauistro, dormitorio, refectorio, ortis, ortaliciis, & aliis officinis necessariis, & opportunis construere, & ædificari faciendi, nec non eisdem Jeronymæ, & Isabellæ ad illud se transferendi licentiam largiri, ac Monasterium ipsum postquam convenienti clausura munitum fuerit in monasterium Monialium dicti Ordinis sub invocatione prædicta sine alicujus præjudicio erigere, & instituere, nec non illi sic erecto structuras, & ædificia, ac omnia illius, nec non alia per ipsam Catharinam propterea assignanda bona confirmare, ita quod liceat pro tempore existenti Priorissæ, & Conventui erigendi Monasterii hujusmodi structuras, & ædificia, ac redditus, & bona hospitalis hujusmodi vendere, alienare, nec non pretium inde proveniens in constructionem, & ampliationem ipsius erigendi Monasterii, ac in emptionem aliorum bonorum magis utilium pro ipso erigendo Monasterio convertere, perpetuo applicare, & appropriare, nec non salvo, & concessio Conventui præfato jure eligendi, hac prima vice excepta, personam idoneam Monialem in Priorissam dicti Monasterii, si, super quo conscientiam tuam oneramus, per diligentem examinationem eandem Jeronymam ad hoc idoneam esse repereris, Priorissatum prædictum, qui Conventualis erit, & cujus fructus, redditus, & proventus decem ducatorum auri similium secundum æstimationem prædictam, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, ab ejus primæva erectione hujusmodi tunc vacantem cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Jeronymæ conferre, & assignare, sibi que quascumque Moniales dictum Monasterium

erigendum ingredi volentes in illius Moniales recipiendi, & ad professionem regularem per Moniales dicti Ordinis emitti solitam admittendi, nec non omnia, & singula alia, quæ Abbatissæ, & Priorissæ dicti Ordinis in aliis eorum Monasteriis facere, & exercere potuerunt, seu consueverunt, ac facere, & exercere potuerunt quomodolibet in futurum faciendi, & exercendi plenam, & liberam facultatem concedere auctoritate nostra procures inducens per te, vel alium, seu alios eandem Jeronymam recepto prius ab ea nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento juxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus introclusam, vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Priorissatus, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, & defendens inductam amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens eandem Jeronymam, vel pro ea procuratorem prædictum ad Priorissatum hujusmodi, ut est moris admitti, sibi que de illius fructibus, redditibus, & proventibus universis integre responderi, contraditores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Nos enim, si elargitionem, erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem, collationem, assignationem, & concessionem prædictas per te vigore præsentium fieri contigerit, eisdem Jeronymæ, & Isabellæ, ut in dicto erigendo Monasterio prout in similibus locis sacris fieri consuevit campanæ pulsari, & tam ipsa Jeronyma, quam alia pro tempore existentes Priorissæ, & Moniales ipsius erigendi Monasterii quoties illis placuerit, aliquem Presbiterum idoneum sæcularem, vel cujusvis Ordinis Regularem in earum confessorem ad earum nutum amovibilem, qui illarum confessiones audire, ac eis Eucharistiæ, & alia Sacramenta ministrare, nec non Missas, & alia omnia officia celebrare possit, eligere, illisque, nec non eidem erigendo Monasterio, ut omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, indulgentiis, gratiis, favoribus, & indultis, quibus alia Monasteria ejusdem Ordinis, illorumque Abbatissæ, & Priorissæ, ac Moniales Conventus, Confessores, personæ, res, & bona quæcumque de jure, vel consuetudine, ac alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus, jure tamen Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius omnibus semper salvo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii Garlassi, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si pro tempore existenti Episcopo Aquensi, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali,